



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Supplementband und Schluß des ganzen Werkes bis auf die Register

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1865

XXVII. Kardinal Albrecht erneuert und bestätigt die Kalands-Brüderschaft
in Osterburg, am 23. Dezember 1519.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55834)

feri Indulgemus, quod illam cum honestate et moderamine cibi et potus ac grauitate congrua sobrietateque faciant Et mox inde discedant Nec in gurgitationibus seu crapule aut ebrietati vacent Neque inter se quicquam noui, presertim quod canonicis quomodolibet contraire possit institutis Seu dissonum sit rationi, statuunt vel ordinent, de quo nobis et successoribus nostris semper examinandi, interpretandi, commutandi, cassandi et reuocandi potestatem referuamus, dum et quotiens visum fuerit oportunum. Volentes quoque prememoratam fraternitatem ob reuerentiam omnipotentis dei, honorem Sancti Jacobi apostoli patroni et prefatorum exponentium sincere deuotionis affectum vberiori fauore prosequi graciosè, Omnibus et singulis vtriusque sexus christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui memoriis seu exequiis et Missis premissis quater In Anno, vt presertur, celebrandis interfuerint deuote aut coram prefata imagine Sancti Jacobi preces deuotas ad deum fuderint vel pro vberiori eiusdem fraternitatis iustauratione et conseruatione manus quomodolibet porrexerint adiutrices, tocies quociens id fecerint, de omnipotentis dei misericordia necnon beatorum petri et pauli apostolorum auctoritate ac sanctorum Mauriti et sociorum eius Martini atque Steffani, nostrorum patronorum, meritis confisi et ex indulto apostolico Centum et quadraginta indulgentiarum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus. Insuper auctoritate nostra ordinaria, qua super eisdem fratribus et sororibus vt non obstantibus quibuscunque cassationis, suspensionis vel interdicti sententiis in locum vel ecclesiam per nos nostrumque officialem aut sacrorum statutorum prouincialium Concilii Moguntinensis per ciuitatem et diocesim Halberstadensem deputatum executorem fulminatis vel positis Excommunicatis et Interdictis exclusis huiusmodi exequias quater in anno cum solemnitatibus debitis peragere Necnon fratres et sorores de dicta fraternitate tempore interdicti decedentes cum furerali pompa, dummodo tamen decedens causam non dederit interdicto, ecclesiasticè sepulture tradi possint et valeant, presentibus fauorabiliter indulgemus. In quorum omnium fidem et euidentis testimonium has litteras exinde fieri nostrique Sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum in Aula nostra Archiepiscopali Magdeburgensi, Anno a Natiuitate domini Millesimo quingentesimo decimo nono, die veneris, vicesima tertia mensis decembris, Etatis Tricesimo, Cardinalatus secundo, pontificatus vero nostri Sexto annis.

Aus dem Bischöfl. Halberstädt. Litterarium de 1514 ff. (Cop. N. 116) f. 250 im R. Prov.-Archiv zu Magdeburg.

XXVII. Kardinal Albrecht erneuert und bestätigt die Kalands-Brüderschaft in Osterburg,
am 23. Dezember 1519.

Albertus etc. Ex parte dilectorum nobis in christo prouisorum fraternitatis Calendarum in oppido Osterborg, Halberstadenis nostre diocesis nobis expositum est, Qualiter dicta fraternitas dudum a predecessoribus suis confratribus ob spem salutis eterne, quod in christifidelium animarum remedium quondam salubriter instituta ac per Reuerendum in christo Albertum, quondam episcopum Halberstadensem, predecessorem nostrum, litteris suis coram nobis exhibitis confirmata necnon secundum statuta et consuetudines qualdam laudabiles annuo cum quaternis exequiis defunctorum ac quibusdam festis paratis hactenus solemniter obseruata et celebrata existit. Vnde nobis humiliter

extitit supplicatum, quatenus predictam fraternitatem auctoritate nostra ordinaria cum ordinationibus suis et festis paratis Innouare, approbare et confirmare, Et vt maior plebis deuotio excitetur ac succrescat circa eandem, nostras indulgentias solitas adicere dignemur. Nos igitur, qui iustis peccentium votis libenter annuimus, Eandem fraternitatem Calendarum cum ordinationibus suis et festis circa sepedictam fraternitatem pie paratis gratiose duximus Innouandam, approbandam et confirmandam Eamque presentibus dei nomine auctoritate nostra ordinaria Innouamus, approbamus et confirmamus Ea tamen moderatione adhibita, vt iidem fratres et sorores de vtroque sexu ad eandem assumendi licitam, sanctam, honestam ac deo gratam inter se habeant charitatem, qua se inuicem mutua charitate ac elemosinarum et orationum suffragiis fraterne prosequantur Et ad illam non nisi honeste persone sine quouis illicito pacto admittantur, missas et vigiliis locis et temporibus, prout hactenus consuetum fuit, deuote peragendo. Si quam vero post peractum officium inter se forsan essent habituri refectionem, quod illam cum honestate et moderamine cibi et potus et grauitate congrua sobrietateque faciant Nec in gurgitationibus aut commestationibus vacent, Sed refectione facta mox inde discedant. Neque in eadem fraternitate quicquam noui, presertim quod canonicis contraire possit institutis, sine nostro et successorum nostrorum scitu et voluntate ordinent seu statuunt; de quo nobis et successoribus nostris omnium et singulorum premissorum commutandi, interpretandi, cassandi et reuocandi potestatem, dum et quoties visum fuerit oportunitate, reseruamus. Volentes quoque prememoratam fraternitatem Calendarum ob reuerentiam omnipotentis dei et prefatorum exponendum sincere deuotionis affectum vberiori fauore prosequi gratioso Omnibus et singulis christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui vigiliis, missis et exequiis generalibus premissis quater in anno, vt presertur, Similiter in die omnium animarum diuinis offitiis pro salute defunctorum celebrandis deuote interfuerint, ratione Cardinalatus nostri ducentos et quadraginta dies, Qui vero aliis exequiis specialibus vel in festis paratis et apud eandem fraternitatem institutis seu fundatis deuotionis et orationis causa interfuerint vel pro eiusdem fraternitatis conseruatione in testamento aut alias quomodolibet manus porrexerint adiutrices, toties, quoties id fecerint, Centum et quadraginta indulgentiarum dies auctoritate ordinaria de Inimicis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus. Insuper auctoritate predicta eisdem fratribus et sororibus, vt non obstantibus quibuscunque cussationis, suspensionis vel interdicti sententiis In locum vel ecclesiam per nos nostrumque officialem aut sacrorum statutorum prouincialium Concilii maguntinensis per ciuitatem et diocesim Halberstadensem deputatum executorem fulminatis vt positis, excommunicatis et interdictis exclusis, Interim et quando memorie seu exequie fratrum et sororum in dicta congregatione et fraternitate congregatorum Necnon festa parata apud fraternitatem Calendarum fundata annuatim peraguntur diuina officia cum sermonibus, circuitu, missis et vesperis cum solemnitatibus solitis et campanarum pulsatione, dum et quando memorie et festa hec requirunt, resumere et peragere Necnon fratres et sorores de dicta fraternitate tempore interdicti decedentes cum funerali pompa, dummodo tamen decedens causam non dederit interdicto, ecclesiastice sepulture tradere possint et valeant, presentibus fauorabiliter indulgemus, In quorum omnium fidem et euidentis testimonium premissorum has litteras exinde fieri nostrique sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum in aula nostra Archiepiscopali Magdeburgensi, Anno a natiuitate domini millesimo quingentesimo decimo nono, die veneris, vicefima tercia mensis Decembris, Etatis Tricesimo, Cardinalatus Secundo, pontificatus vero nostri sexto annis.

Aus dem Bischöfl. Halberstädt. Litterarium de 1514 ff. (Cop. No. 116) f. 251 im K. Prov.-Archiv zu Magdeburg.